

Cap. 6.
Britannia
Magna, &
Parva.

Mathematicæ Constructionis libro secundo, ubi de Parallelis agit, in Britanniam MAGNAM & PARVAM. Verum pace tantorum virorum, illo loco hanc nostram Insulam, Britanniam MAGNAM & Hiberniam PARVAM vocare ipsis videbitur, si accuratius distantia rationem ab Equatore ibidem perpendant, & cum ejus Geographicis conferre placeat. Recentiores tamen quidam citeriorem hujus Insulæ partem ad Meridiem MAGNAM vocarunt, & ulteriorem illam ad Septentriones PARVAM: cujus incolæ olim in MARIATAS & CALEDONIOS distincti erant, id est, in campestris, & montanos, ut nunc Scoti in *Hechlandmen*, & *Ladlandmen*. cum autem ulteriorem illam plagam neglexerint Romani, quia, ut inquit Appianus, *illis utilis esse non poterat, nec ferax*: termino non procul ab Edenburgo posito, citeriorem partem in Provinciam jam redactam primum duplicem fecerunt, INFERIOREM scilicet, & SUPERIOREM ut ex Dione colligitur. Angliæ enim partem citeriorem cum Wallia SUPERIOREM, ulteriorem & Septentrionalem INFERIOREM vocat. Quod ipsæ Legionum sedes apud Dionem comprobant. *Legionem secundam Augustam, quæ ad Caerleon in Wallia, & victricem vice-simam, quæ ad Chester, sive Devæ egit, in Britannia superiori locat: Legionem autem sextam victricem, quæ Eboraci egit, in Britannia Inferiori meruisse scribit.* Hanc divisionem à Severo Imperatore factam fuisse existimarem, quod Herodianus prodat, illum, devicto Albino, qui Britannico exercitui præerat & imperium occuparat, Britannia rebus ordinatis, totius Provinciæ administrationem inter duos præfectos bifariam divisisse.

Britannia
Inferior &
Superior.
Lib. 55.
Isca, Caerleonar Vrk.

Britannia
triplex.
Dist. 80
c. 1.

Postea in tres partes Britannia provinciam descriperunt Romani, ut ex Sexti Rufi manuscripto videre est, videlicet in MAXIMAM CÆSARIENSEM, BRITANNIAM PRIMAM, & BRITANNIAM SECUNDAM: Quas ex Episcopis, & diocesis antiquis forsitan deprehendi. Lucius Pontifex Rom. apud Gratianum innuit ecclesiasticas Christianorum ditiones Romanorum Magistratum ditiones imitatas esse, illisque in urbibus Archiepiscopos confedisse, quibus olim præfides Romani. *Urbes & loca, ait, quibus Primates præfidere debent, non à modernis sed etiam multis ante adventum Christi sunt statuta temporibus: quarum Primates etiam gentiles pro majoribus etiam negotiis appellabant. In ipsis vero urbibus post Christi adventum Apostoli & successores eorum Patriarchas vel Primates posuerunt, ad quos Episcoporum negotia & majores causa sunt referenda.* Cum autem tres Archiepiscopos olim habuerit Britannia, Londinensem scilicet, Eboracensem, & urbis Legionum: provinciam quam nunc vocant Cantuariensem (eo enim Londinensis sedes translata erat) BRITANNIAM PRIMAM constituisse: Walliam quæ Episcopo urbis Legionum paruit BRITANNIAM fuisse SECUNDAM: provinciam vero Eboracensem, quæ tum ad limitem pertinuit fuisse MAXIMAM CÆSARIENSEM existimo.

Subsequente ætate, cum Imperii Romani formula indies immutaretur, vel ambitione, ut plures ad honores pertingerent, vel Imperatorum cautione, ut nimia Præfidum potentia accidere-

tur, Britanniam quinquepartitam fecerunt, BRITANNIAM nimirum PRIMAM, SECUNDAM, MAXIMAM CÆSARIENSEM, VALENTIAM, & FLAVIAM CÆSARIENSEM. VALENTIA pars Septentrionalis fuisse videtur Maxima Cæsariensis, quam à Pictis & Scotis occupatam Theodosius Valentis Imp. Dux recuperavit, & Valentiam in ejus honorem nominavit, quod his verbis planius ostendit Marcellinus. *Recuperatam provinciam, quæ in ditionem concesserat hostium, ita reddiderat statui pristino: ut eodem referente, & rectorem haberet legitimum, & VALENTIA deinde vocaretur arbitrio principis.* Hujus Theodosii filium, (qui Augustus creatus, Flavius Theodosius dictus fuit, & plurima in imperio immutavit,) Flaviam addidisse conijcere licebit, quod ante hujus Flavii tempora, Britannia Flavia nusquam legatur. Ut igitur summatim rem expediam: BRITANNIA PRIMA dicta fuit omnis regio Australis, quæ hinc Mare Britannicum, illinc Tamisum & Sabrinianum fretum interjacet. BRITANNIA SECUNDA, quæ nunc Wallia, FLAVIA CÆSARIENSIS, à Tamisi ad Humbrum porrecta fuit, MAXIMA CÆSARIENSIS ab Humbro ad Tinam fl. sive Vallum Severi; VALENTIA à Tina ad vallum juxta Edenburgum, quam Scoti *Gramesdike* vocant, ubi Romani imperii limes ultimus.

Non possum hic non requirere quorundam eruditissimorum prudentiam, qui in hunc numerum Scotiam referunt, quam alii Maximam Cæsariensem, alii Britanniam Secundam fuisse volunt. Quasi vero Romani illam partem cœli quodammodo rigori damnatam non neglexerint, & hic tantum provincias illas enumerarint, quas per Consulares & Præsides administrarunt. Maxima enim Cæsariensis, & Valentia à Consularibus, reliquæ tres, Britannia Prima, Secunda, & Flavia à Præsidibus administrabantur.

Si quis me roget, quam hujus partitionis meæ rationem habeam, & finium male regundorum insimulet: quid me in hanc sententiam pellexerit, paucis accipiat. Cum observarim Romanos eas Provincias, semper *Primas* vocasse, quæ Romæ fuerant proximiores, ut *Germania Prima*, *Belgica Prima*, *Lugdunensis Prima*, *Aquitania Prima*, *Pannonia Prima*, quæ omnes Romæ propiores erant, quam quæ *Secunda* nominantur; & has *Primas* ab elegantioribus *Superiores*; *Secundas*, inferiores dictas fuisse: Australem nostræ insulæ partem Romæque propiorem *Britanniam Primam* fuisse statui. Eadem ratione cum *Secunda* provinciæ, quas vocant, à Roma disjunctiores essent, Walliam *Britanniam Secundam* putavi. Cum etiam inclinante imperio, illas provincias solummodo *Consulares* magistratus habuisse notaverim, quæ hostibus objacebant, ut videre est apud librum *Notitiarum*, non solum in Gallia, sed etiam in Africa; & apud nos *Valentia* cum *Maxima Cæsariensi* in eo libro *Consulares* censeantur: eas Scotis & Pictis proximas expositasque in illis, quos dixi, locis judicavi. *Flaviam autem Cæsariensem* hic omnibus intermediam fuisse, & in Angliæ meditullio non possum non conjectare, & eo confidentius, quod idem mecum sentit antiquus ille scriptor Giraldus Cambrensis. Hæ fuerunt sub Romanis Britannia divisiones.

Britannia
quinquepartita.
Notitia
Provinciarum.

Lib. 28.

Britannia
prima.
Britannia
secunda.
Flavia Cæsariensis.
Maxima Cæsariensis.
Valentia.

Postea,